

Oratio Sancti Thomae Aquinatis Post Missam

Prayer of St. Thomas Aquinas After Mass

[Contents](#)
[PostMissam](#)

Written by St. Thomas Aquinas.

GRATIAS tibi ago, Domine, sancte Pater, omnipotens aeternae Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui, Domini nostri Iesu Christi. Et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et oboedientiae omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhaesio; atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu, cum Filio tuo et Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

LORD, Father all-powerful, and ever-living God, I thank Thee, for even though I am a sinner, Thy unprofitable servant, not because of my worth, but in the kindness of Thy mercy, Thou hast fed me with the precious Body and Blood of Thy Son, our Lord Jesus Christ. I pray that this holy communion may not bring me condemnation and punishment but forgiveness and salvation. May it be a helmet of faith and a shield of good will. May it purify me from evil ways and put an end to my evil passions. May it bring me charity and patience, humility and obedience, and growth in power to do good. May it be my strong defense against all my enemies, visible and invisible, and the perfect calming of all my evil impulses, bodily and spiritual. May it unite me more closely to Thee, the one true God and lead me safely through death to everlasting happiness with Thee. And I pray that Thou wilt lead me, a sinner to the banquet where Thou with Thy Son and Holy Spirit, art true and perfect light, total fulfillment, everlasting joy, gladness without end, and perfect happiness to Thy saints. Grant this through Christ our Lord. Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) - >



[Contents](#)

Oratio Post Missam Prayer After Mass

[PostMissam](#)

From the Roman Missal	
Ant. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (T.P. Alleluia.)	Ant. Let us sing the hymn of the three children, which these holy ones sang in fiery furnace, praising the Lord. (P.T. Alleluia.)
Benedicite (Dan. 3:57-88,56)	Bless the Lord (Dan. 3:57-88,56)
Psalmus CL	Psalm 150
Gloria Patri, etc.	Glory be to the Father, etc.
Ant. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (T.P. Alleluia.)	Ant. Let us sing the hymn of the three children, which these holy ones sang in fiery furnace, praising the Lord. (P.T. Alleluia.)
Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.	Lord, have mercy. Christ, have mercy. Lord, have mercy.
Pater noster ...	Our Father ...
V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos a malo.	V. And lead us not into temptation. R. But deliver us from evil.
V. Confiteamur tibi Domine omnia opera tua. R. Et Sancti tui benedicant tibi.	V. Let all Thy works praise Thee, O Lord. R. And let Thy saints bless Thee.
V. Exsultabunt Sancti in gloria. R. Laetabuntur in cubilibus suis.	V. The Saints shall rejoice in glory. R. They shall rejoice in their resting places.
V. Non nobis Domine, non nobis. R. Sed nomini tuo da gloriam.	V. Not to us, O Lord, not to us. R. But to Thy name give glory.
V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.	V. O Lord, hear my prayer. R. And let my cry come to Thee.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.	V. The Lord is with you. R. And with Thy spirit.
Oremus.	Let us pray.
DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.	O GOD, who didst allay the flames of fire for the three children, grant in Thy mercy that the flame of vice may not consume us, Thy servants.
ACTIONES nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando proseguere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.	DIRECT, we beseech Thee, O Lord, our actions by Thy inspiration and further them by Thine assistance; that our every word and work may always begin with Thee and be completed through Thee.
DA nobis, quaesumus Domine, vitiourum nostrorum flammam extinguere; qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum.	QUENCH in us, we beseech Thee, O Lord, the flame of vice, as Thou didst grant to blessed St. Lawrence to over-come the fire of his torments. Through Christ our Lord.
R. Amen.	R. Amen.

< - [Prev](#)[©copyrighted](#) by Michael Martin[Next](#) - >

[Contents](#)

Benedicite Dominum Canticle of the Three Young Men

[Trinitas](#)

Benedicite Dominum, or the Canticle of the Three Young Men is taken from the Old Testament book of Daniel (Dan. 3, 57-88; 56). It is used at Lauds for Sundays and feast days.

BENEDICITE, omnia opera
Domini, Domino; laudate et
superexaltate eum in saecula.

BLESS the Lord, all ye works of the
Lord, praise and exalt Him above all
forever.

BENEDICITE, caeli, Domino,
benedicite, angeli Domini, Domino.

BLESS the Lord all ye heavens; bless
the Lord all ye angels of the Lord.

BENEDICITE, aquae omnes, quae
super caelos sunt, Domino,
benedicat omnis virtutis Domino.

BLESS the Lord all ye waters that are
above the heavens; let all powers
bless the Lord.

BENEDICITE, sol et luna, Domino,
benedicite, stellae caeli, Domino.

BLESS the Lord, ye sun and moon;
stars of heaven, bless the Lord.

BENEDICITE, omnis imber et ros,
Domino, benedicite, omnes venti,
Domino.

BLESS the Lord, every shower and
dew. All ye winds, bless the Lord.

BENEDICITE, ignis et aestus,
Domino, benedicite, frigus et aestus,
Domino.

BLESS the Lord, ye fire and heat;
cold and chill, bless ye the Lord.

BENEDICITE, rores et pruina,
Domino, benedicite, gelu et frigus,
Domino.

BLESS the Lord, dew and hoar
frosts; frost and cold, bless the Lord.

BENEDICITE, glacies et nives,
Domino, benedicite, noctes et dies,
Domino.

BLESS the Lord, ice and snow; nights
and days, bless the Lord.

BENEDICITE, lux et tenebrae,
Domino, benedicite, fulgura et
nubes, Domino.

BLESS the Lord, light and darkness;
lightning and clouds, bless the Lord.

BENEDICAT terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.	LET the earth bless the Lord; let it praise and exalt Him above all forever.
BENEDICITE, montes et colles, Domino, benedicite, universa germinantia in terra, Domino.	BLESS the Lord, ye mountains and hills; everything growing from the earth, bless the Lord.
BENEDICITE, maria et flumina, Domino, benedicite, fontes, Domino.	BLESS the Lord, seas and rivers; fountains, bless the Lord.
BENEDICITE, cete, et omnia, quae moventur in aquis, Domino, benedicite, omnes volucres caeli, Domino.	BLESS the Lord, ye whales and all that move in the waters; all you fowls of the air, bless the Lord.
BENEDICITE, omnes bestiae et pecora, Domino, benedicite, filii hominum, Domino.	BLESS the Lord, all ye beasts and cattle; sons of men, bless the Lord.
BENEDICITE, Israel, Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.	BLESS the Lord, Israel,; praise and exalt Him above all for ever.
BENEDICITE, sacerdotes Domini, Domino, benedicite, servi Domini, Domino.	BLESS the Lord, priests of the Lord, servants of the Lord, bless the Lord.
BENEDICITE, spiritus et animae iustorum, Domino, benedicite, sancti et humiles corde, Domino.	BLESS the Lord, spirits and souls of the just; holy men of humble heart, bless the Lord.
BENEDICITE, Anania, Azaria, Misael, Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.	BLESS the Lord, Ananias, Azaria, and Misael; praise and exalt Him above all for ever.
BENEDICAMUS Patrem et Filium cum Sancto Spiritu; laudemus et superexaltemus eum in saecula.	LET us bless the Father and the Son, with the Holy Spirit; let us praise and exalt Him above all for ever.
BENEDICTUS es in firmamento caeli et laudabilis et gloriosus in saecula. Amen.	BLESSED art Thou, Lord, in the firmament of heaven; and worthy of praise, and glorious above all for ever. Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) ->



[Contents](#)

Psalmus CL (Sixto-Clementine)

Psalm 150 (150)

[Psalmi](#)

Sollemnis laudis Dei concentus	An orchestra of solemn praise of God
<i>Psallite spiritu, psallite et mente, hoc est: glorificate Deum et anima et corpore vestro. (Hesychius)</i>	<i>Sing with the spirit, sing with understanding, it is this; glorify God with your body and soul. (Hesychius)</i>
1 LAUDATE DOMINUM in sanctis eius; * laudate eum in firmamento virtutis eius.	1 PRAISE THE LORD in His holy places: * praise Him in the firmament of His strength.
2 Laudate eum in virtutibus eius, * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.	2 Praise Him for His mighty deeds: * praise Him according to the multitude of His greatness.
3 Laudate eum in sono tubae; * laudate eum in psalterio et cithara.	3 Praise Him with the sound of trumpet: * praise Him with psaltery and harp.
4 Laudate eum in tympano et choro; * laudate eum in chordis et organo.	4 Praise Him with timbrel and choir: * praise Him with strings and organs.
5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus; laudate eum in cymbalis iubilationis. * 6 Omnis spiritus laudet Dominum!	5 Praise Him on high sounding cymbals: praise Him on cymbals of joy: * let every spirit praise the Lord.

< - [Prev](#)[©copyrighted](#) by Michael Martin[Next->](#)



[Contents](#)

Oratio Sancti Bonaventurae

Prayer of Saint Bonaventure

[PostMissam](#)

St. Bonaventure (1218-1274) was born in Tuscany and became a Franciscan. He is regarded as the greatest exponent of Mystical Theology in the Middle Ages and is known as the Seraphic Doctor.

TRANSFIGE, dulcissime Domine Iesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum.

Da ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum; panem nostrum cotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiatur fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei.

PIERCE, O most Sweet Lord Jesus, my inmost soul with the most joyous and healthful wound of Thy love, with true, serene, and most holy apostolic charity, that my soul may ever languish and melt with love and longing for Thee, that it may yearn for Thee and faint for Thy courts, and long to be dissolved and to be with Thee.

Grant that my soul may hunger after Thee, the bread of angels, the refreshment of holy souls, our daily and supersubstantial bread, having all sweetness and savor and every delight of taste; let my heart ever hunger after and feed upon Thee, upon whom the angels desire to look, and may my inmost soul be filled with the sweetness of Thy savor; may it ever thirst after Thee, the fountain of life, the fountain of wisdom and knowledge, the fountain of eternal light, the torrent of pleasure, the richness of the house of God.

Te semper ambiat, te quaerat, te
 inveniatur, ad te tendat, ad te
 perveniat, te meditetur, te loquatur,
 et omnia operetur in laudem et
 gloriam nominis tui, cum humilitate
 et discretione, cum dilectione, et
 delectatione, cum facilitate et
 affectu, cum perseverantia usque in
 finem; ut tu sis solus semper spes
 mea, tota fiducia mea, divitiae meae,
 delectatio mea, iucunditas mea,
 gaudium meum, quies et tranquillitas
 mea, pax mea, suavitas mea, odor
 meus, dulcedo mea, cibus meus,
 refectio mea, refugium meum,
 auxilium meum, sapientia mea,
 portio mea, possessio mea,
 thesaurus meus, in quo fixa et firma
 et immobiliter semper sit radicata
 mens mea et cor meum. Amen.

May it ever compass Thee, seek
 Thee, find Thee, run to Thee, attain
 Thee, meditate upon Thee, speak of
 Thee, and do all things to the praise
 and glory of Thy name, with humility
 and discretion, with love and delight,
 with ease and affection, and with
 perseverance unto the end; may
 Thou alone be ever my hope, my
 entire assurance, my riches, my
 delight, my pleasure, my joy, my rest
 and tranquility, my peace, my
 sweetness, my fragrance, my sweet
 savor, my food, my refreshment, my
 refuge, my help, my wisdom, my
 portion, my possession and my
 treasure, in whom may my mind and
 my heart be fixed and firmly rooted
 immovably henceforth and for ever.
 Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) ->



[Contents](#)

Anima Christi Soul of Christ

[PostMissam](#)

The author of this traditional prayer from the Roman Missal is unknown. It has often been attributed to St. Ignatius of Loyola (1491-1556), for it was indeed a favorite of his and it appears at the beginning of his Spiritual Exercises. However, he could not have been its author for a copy of the prayer appears in a document from 1334, a good century and a half before St. Ignatius was born. Others have attributed it to Blessed Bernadine of Feltre (1439-1494), but again the prayer was around for at least a century before his time as well. The prayer is also known as the Prayer of St. Patrick and some scholars formerly placed the prayer's composition in seventh century Ireland. This too seems unlikely, since no copy that early is known to exist. The prayer carries a partial indulgence.

ANIMA Christi, sanctifica me.

Corpus Christi, salva me.

Sanguis Christi, inebria me.

Aqua lateris Christi, lava me.

Passio Christi, conforta me.

O bone Iesu, exaudi me.

Intra tua vulnera absconde me.

Ne permittas me separari a te.

Ab hoste maligno defende me.

In hora mortis meae voca me.

Et iube me venire ad te,

Ut cum Sanctis tuis laudem te

in saecula saeculorum.

Amen.

SOUL of Christ, sanctify me.

Body of Christ, save me.

Blood of Christ, inebriate me.

Water from the side of Christ, wash me.

Passion of Christ, strengthen me.

O good Jesus, hear me.

Within Thy wounds, hide me.

Separated from Thee let me never be.

From the malignant enemy, defend me.

At the hour of death, call me.

To come to Thee, bid me,

That I may praise Thee in the company

Of Thy Saints, for all eternity.

Amen.

<- [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#)->



Oblatio Sui

[Contents](#)

Prayer of Self-Dedication to Jesus Christ

[PostMissam](#)

From the Roman Missal, by St. Ignatius of Loyola (1491 - 1556), founder of the Jesuits.

SUSCIPE, Domine, universam
meam libertatem. Accipe memoriam,
intellectum atque voluntatem
omnem. Quidquid habeo vel
possideo mihi largitus es; id tibi
totum restituo, ac tuae prorsus
voluntati trado gubernandum.
Amorem tui solum cum gratia tua
mihi dones, et dives sum satis, nec
aliud quidquam ultra posco. Amen

LORD Jesus Christ, take all my
freedom, my memory, my
understanding, and my will. All that I
have and cherish Thou hast given
me. I surrender it all to be guided by
Thy will. Thy grace and Thy love are
wealth enough for me. Give me
these Lord Jesus and I ask for
nothing more. Amen.

< - [Prev](#)[©copyrighted](#) by Michael Martin[Next](#) ->

Obsecro te, dulcissime Domine Iesu Christe I Beseech Thee, Most Sweet Lord Jesus Christ

[Contents](#)

[PostMissam](#)

From the Roman Missal.

OBSECRO te, dulcissime Domine Iesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defender. Vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar inebrier atque delecter. Aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum. Mors tua sit mihi vita indeficiens, crux sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas et dulcedo cordis mei: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

I BESEECH Thee, most sweet Lord Jesus Christ, that Thy Passion may be to me power by which I may be strengthened, protected and defended. May Thy wounds be to me food and drink by which I may be nourished, inebriated, and delighted. May the sprinkling of Thy Blood be to me an ablution for all my sins. May Thy death prove for me unfailing life, and may Thy Cross be to me eternal glory. In these be my refreshment, joy, health, and delight of my heart: Thou who livest and reignest forever. Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) - >



[Contents](#)

En ego, o bone et dulcissime Iesu Prayer Before a Crucifix

[PostMissam](#)

This prayer calls to mind Psalm 21, in particular verses 17 and 18, which concern our Lord's Passion. A plenary indulgence is granted to the faithful on any Friday of Lent or Passiontide who after Communion piously recite this prayer before an image of Christ crucified. On other days of the year the indulgence is partial.

EN EGO, o bone et dulcissime Iesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum paenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere; dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo¹ David propheta de te, o bone Iesu: Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Amen.

BEHOLD, o good and most sweet Jesus, I fall upon my knees before Thee, and with most fervent desire beg and beseech Thee that Thou wouldst impress upon my heart a lively sense of faith, hope and charity, true repentance for my sins, and a firm resolve to make amends. And with deep affection and grief, I reflect upon Thy five wounds, having before my eyes that which Thy prophet David spoke about Thee, o good Jesus: "They have pierced my hands and feet, they have counted all my bones." Amen.

Latin from the Enchiridion Indulgentiarum, 1999.

¹ Some texts have "suo" here.

<- [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#)->



[Contents](#)

Oratio Universalis

Universal Prayer

[PostMissam](#)

Written by Pope Clement XI (1700-1721).

CREDO Domine, sed credam
firmius; spero, sed sperem securius;
amo, sed amem ardentius; doleo,
sed doleam vehementius.

LORD, I believe in Thee: but let me
believe more strongly. I hope in
Thee: but let me hope more
securely. I love Thee: but let me love
Thee more ardently. I sorrow, but
deepen my sorrow for my sins.

Adoro te ut primum principium;
desidero ut finem ultimum; laudo ut
benefactorem perpetuum; invoco ut
defensorem propitium.

I adore Thee as my first beginning, I
long for Thee as my last end, I
praise Thee as my constant
benefactor, I call on Thee as my
loving protector.

Tua me sapientia dirige, iustitia
contine, clementia solare, potentia
protege.

Guide me by Thy wisdom, hold me
with Thy justice, comfort me with
Thy mercy, protect me with Thy
power.

Offero tibi, Domine cogitanda, ut sint
ad te; dicenda, ut sint de te;
facienda, ut sint secundum te;
ferenda, ut sint propter te.

I offer Thee, Lord, my thoughts, my
words, my actions, and my
sufferings to be fixed on Thee, to be
according to Thee, and to be
endured for Thee.

Volo quidquid vis, volo quia vis, volo
quomodo vis, volo quamdiu vis.

I want to do what Thou willeth, in
the way Thou willeth for as long as
Thou willeth, because Thou willeth.

Oro, Domine, intellectum illumines,
voluntatem inflames, cor emundes,
animam sanctifices.

I pray, O Lord, enlighten my
understanding, inflame my will,
purify my heart, and sanctify my
soul .

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.	May I weep for my former iniquities, repel future temptations, correct my faults, and cultivate suitable virtues.
Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.	Grant me, O God, love of Thee, hatred of me, zeal for my neighbor, contempt the world.
Studeam superioribus oboedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.	May I be eager to obey my superiors, be courteous to my inferiors, faithful to my friends, and to forgive my enemies.
Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem fervore.	Help me to conquer sensuality with austerity, greed with generosity, anger with gentleness, apathy with fervor.
Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.	Make me prudent in planning, steadfast in danger, patient in adversity, and humble in prosperity.
Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.	O Lord, make me attentive in prayer, temperate in drink, diligent in my duties, and firm in purpose.
Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.	May I take care to have an innocent interior, a modest exterior , exemplary speech, and a well- ordered life .
Assidue invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.	May I be ever-watchfull in guarding against my weaknesses, cherishing Thy grace, keeping Thy laws, and coming to salvation.
Discam a te quam tenue quod terrenum, quam grande quod divinum, quam breve quod temporaneum, quam durable quod aeternum.	May I learn from Thee the passing nature of this world, the grandness of heaven, the shortness of this life, and the life to come eternal.

Da mortem praeveniam, iudicium
pertineam, infernum effugiam,
paradisum obtineam.

Grant that I may prepare for death,
fear judgment, flee from Hell, and
obtain paradise.

Per Christum Dominum nostrum.
Amen.

Grant this though Christ our Lord.
Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) ->



Oratio ad Mariam Virginem Post Missam Prayer to the Blessed Virgin Mary After Mass

[Contents](#)[PostMissam](#)

From the Roman Missal.

O MARIA, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cuius aspectu laetabar et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum, sanctissimaeque Trinitati in supremum patriae cultum, pro tui ipsius honore et gloria et pro meis totiusque mundi necessitatibus, offerendum. Rogo ergo te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia saecula saeculorum. Amen.

O MARY, most holy Virgin and Mother, behold, I have received thy most beloved Son, Jesus Christ, whom thou conceivedst in thy spotless womb, bore, nursed, and held with thy sweet embraces. Behold Him at whose sight thou wilt rejoice and be filled with every delight. With love I humbly return Him and offer Him to thee, to hold once more, to love with all thy heart, and to offer to the Holy Trinity as our supreme act of worship for thy honor and glory and for my good and the good of all the world. Therefore I ask thee, most loving Mother, to ask God for forgiveness of all my sins, abundant graces to help me serve Him more faithfully, and for that final grace that I may praise Him with thee for ever and ever. Amen.

< - [Prev](#)

©copyrighted by Michael Martin

[Next](#) ->

[Contents](#)

Oratio ad Sanctum Ioseph Prayer to St. Joseph

[PostMissam](#)

This is one of the more popular prayers to St. Joseph. It is used after Mass and in conjunction with the Cord of St. Joseph.

VIRGINUM custos et pater, sancte Ioseph, cuius fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Iesus et Virgo virginum Maria commissa fuit; te per hoc utrumque carissimum pignus Iesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me, ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Iesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

GUARDIAN of virgins and father, Saint Joseph, to whose faithful custody Innocence itself, Christ Jesus, and Mary, Virgin of virgins, was committed; I pray and beseech thee by each of these dear pledges, Jesus and Mary, that, being preserved from all uncleanness, I may with spotless mind, pure heart, and a chaste body, ever serve Jesus and Mary most chastely all the days of my life. Amen.

< - [Prev](#)[©copyrighted](#) by Michael Martin[Next](#) ->

[Contents](#)

Oratio ad Sanctum Post Missam Prayer After Mass to the Day's Saint

[PostMissam](#)

From the Roman Missal.

SANCTE(A) N., in cuius honorem incruentum Corporis et Sanguinis Christi sacrificium obtuli, fac, tua potenti apud Deum intercessione, ut, usu huius mysterii, passionis et mortis eiusdem Christi Salvatoris nostri merita consequar, ac, cum illius frequentatione, continuo crescat meae salutis effectus. Amen.

O SAINT N., in whose honor I have offered the bloodless sacrifice of the Body and Blood of Christ, grant by thy powerful intercession with God, that, by the utility of this mystery, I may obtain the merits of the passion and death of this same Christ our Savior. And with its frequency come to salvation. Amen.

< - [Prev](#)[©copyrighted](#) by Michael Martin[Next](#) ->

[Contents](#)

Oratio Sancti Ioannis Chrysostomi Prayer of St. John Chrysostom

[PostMissam](#)

Written by St. John Chrysostom (344-407), Bishop, Patriarch of Constantinople, and Doctor of the Church. He is known as Doctor Eucharisticus (Doctor of the Eucharist).

GRATIAS tibi agimus,
clementissime Dominator,
Redemptor animarum nostrarum,
quoniam et praesenti hac die
caelestibus et immortalibus mysteriis
nos dignos fecisti. Tu dirige viam
nostram; serva nos in timore tuo;
tuere vitam nostram; gressus nostros
firma orationibus et intercessionibus
sanctae et gloriosae Dei Genetricis et
semper Virginis Mariae. Exaltare
super caelos, Deus, et super omnem
terram gloria tua nunc et semper, et
in saecula saeculorum. Amen.

WE give Thee thanks, O most
merciful Lord and Redeemer of our
souls, for this day Thou hast made
us worthy by means of these
immortal and heavenly mysteries.
Direct our way; keep us in fear of
Thee; guard our lives; and make our
steps firm through the prayers and
intercessions of the glorious and holy
Mother of God and ever-Virgin Mary.
Be exalted above the heavens, O
God, and above all the earth, Thy
glory, now and forever and ever.
Amen.

< - [Prev](#)[©copyrighted](#) by Michael Martin[Next](#) ->

[Contents](#)

E Doctrina Duodecim Apostolorum From the Teaching of the Twelve Apostles

[PostMissam](#)

This prayer is from the "Teaching of the Twelve Apostles", otherwise known as the Didache. The Didache is a second century document written in Jerusalem (ca 140 AD) and contains a summary of the catechesis of the Twelve Apostles. It was used in the early Church for the instruction of the catechumens and was highly valued as a source of instruction and inspiration in the early Church. Today it gives us important insight into the teachings and practices of the early Church

GRATIAS tibi agimus, Pater sancte, pro sancto nomine tuo, quod fecisti ut habitet in cordibus nostris, et pro scientia et fide et immortalitate, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula.

WE thank Thee, Holy Father, for Thy holy Name which Thou hast made to dwell in our hearts, and for the knowledge, faith, and immortality which Thou hast made known to us through Jesus Thy Son; glory to Thee forever.

Tu, Domine omnipotens, creasti omnia propter nomen tuum, et cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum.

Thou, O Lord Almighty, hast created all things for the sake of Thy Name, and hast given food and drink to all for their enjoyment, so that they might return thanks to Thee. Upon us, however, Thou hast bestowed spiritual food and drink and eternal life through Thy Son.

Ante omnia gratias tibi agimus, quod potens es; gloria tibi in saecula.

Above all, we give Thee thanks, for Thou art almighty; glory unto Thee forever.

Recordare, Domine, Ecclesiae tuae, ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in caritate tua, et collige eam a quattuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei parasti, quoniam tua est virtus et gloria in saecula.

Remember, O Lord, Thy Church. Deliver it from all evil and perfect in Thy love. Gather it from the four winds, sanctified in Thy kingdom which Thou hast prepared for it, for Thine is the power and the glory forever.

Adveniat gratia et praetereat
mundus hic. Hosanna filio David. Si
quis sanctus est, accedat; si quis non
est, paenitentiam agat. Maranatha.
Amen.

Let grace come and this world pass
away. Hosanna to the Son of David.
If anyone is holy, let him come. If
not, let him repent. Maranatha!
Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) ->



From the 9th century sacramentary of Amiens, this prayer was traditionally recited by the priest after Mass.

PLACEAT tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae: et praesta; ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

MAY the tribute of my humble ministry be pleasing to Thee, Holy Trinity. Grant that the sacrifice which I, unworthy as I am, have offered in the presence of Thy majesty may be acceptable to Thee. Through Thy mercy may it bring forgiveness to me and to all for whom I have offered it: through Christ our Lord. Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) - >



Domine Iesu Christe

[Contents](#)

O Lord Jesus Christ, Son of the Living God

[PostMissam](#)

DOMINE Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per sacrosanctum Corpus tuum, quod ego indignus sumere praesumpsi, ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te numquam separari permittas. Amen.

O LORD Jesus Christ, Son of the living God, who according to the will of the Father, with the cooperation of the Holy Spirit, hast by Thy death given life unto the world, deliver me by Thy most sacred Body, which, I, unworthy, have presumed to receive, from all my iniquities and from every evil, and make me ever to hold fast to Thy commandments and suffer me never to be separated from Thee. Amen.

< - [Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next](#) - >



[Contents](#)

ORATIONES S. ALFONSI MARIAE DE LIGORIO singulis hebdomadae diebus distributae

[PostMissam](#)

Composed by St. Alphonsus Liguori (1696 - 1787).

Die dominica

Amantissime Iesu, Redemptor et Deus, adoro te praesentem in pectore meo sub speciebus panis et vini, quibus factus es cibus et potus animae meae. Sit infinite benedictus adventus tuus ad animam meam, Deus meus, et pro tanto beneficio tibi ex intimo corde gratias ago, et doleo eo quod digne tibi grates rependere non valeo.

Et quasnam dignas gratiarum actiones habere posset humilis villicus, si rustica in domo sua ab ipso suo rege se visitatum videret, nisi ad illius pedes procumbere et tacito admirari et laudare tantam dignationem?

Procido ergo coram te, o Rex divine, o Iesu dulcissime, teque adoro ex abyssu vilitatis meae. Coniungo adorationem meam adorationi, quam tibi praestitit beatissima Virgo Maria, quando in uterum suum sacrosanctum te recepit, et quo ipsa te amavit amore, eodem te prosequi vellem.

O Redemptor amabilis, tu hodie verbis meis oboediens, de caelo in manus meas descendisti: et ego? eheu! quoties, praeceptis tuis inoboediens, te, ingrato animo, sprevi et gratiam et amorem tuum reieci! O bone Iesu, meorum veniam delictorum iam te mihi tribuisse confido; quod si culpa mea nondum mihi pepercisti, modo, quaeso, ignosce mihi, o Bonitas infinita, nam te offendisse toto corde me paenitet.

Utinam, o Iesu, te semper amavissem! A die saltem quo primam missam celebravi, unice pro te amore flagrare debuissim. Tu ex milibus me in sacerdotem et amicum tuum elegisti, quid ultra facere debuisti, ut a me diligereris? Sed gratias ago tibi quia tempus mihi praestas agendi, quod facere omisi. Ex toto corde meo te amare volo. Nullum affectum in corde meo admittere volo nisi pro te, qui me tantis beneficiis ad te redamandum obstrinxisti.

Deus meus et omnia. O Deus meus, quid mihi divitiae! quid honores! quid mundi voluptates! tu omnia mihi es. Tu solus eris deinceps unicum bonum, unicus amor meus. Dicam tibi cum sancto Paulino: Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est. Fruantur reges, ac divites terrae, regnis suis, suisque divitiis, tu, o bone Iesu, divitiae meae et regnum meum mihi solus eris.

O Pater aeternae, per amorem huius Filii tui, quem hodie tibi obtuli, et in cor meum recepi, da quaeso, mihi sanctam perseverantiam in gratia tua, et donum tui sancti amoris. Tibi etiam commendo propinquos meos, amicos et inimicos; animas item purgatorii omnesque peccatores.

O Mater mea, Maria sanctissima, impetra mihi sanctam perseverantiam et Iesu Christi amorem.

Feria secunda

O Bonitas infinita! O caritas infinita! Deus mihi se totum dedit, factus est totus meus! Anima mea, collige omnes affectus tuos, teque intime coniunge Domino tuo, qui dedita opera ad te venit, ut coniungatur tibi et redametur a te.

O Redemptor amabilis, amplector te, amor et vita mea; me tibi coniungo, noli me despicere. Heu mihi! tempus erat vitae meae, quo te reieci ex anima mea et me separavi a te; sed in posterum vitam meam milies ponere potius volo, quam iterum amittere te, summum Bonum meum. Obliviscere, Domine, omnium iniuriarum, quibus te affeci, et mihi miseratus ignosce; toto corde me illarum paenitet, et prae dolore mori vellem.

Quamvis autem in te peccaverim, mihi praecipis, ut amem te: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Oh! Domine mi, quis ego sum ut a me diligi cupias? Quoniam hoc desideras, amore te prosequi volo. Tu pro me mortem subire voluisti, et carnes tuas in cibum mihi dedisti; ego omnia relinquo, omnibus valedico, et te solum, amantissime Salvator, amplector.

Quis me separabit a caritate Christi? O Redemptor amabilis, et quem alium diligere volo, nisi te, qui es infinita bonitas et infinito amore dignus? Quid mihi est in caelo et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Profecto quidem, Deus meus, et ubinam sive in caelo, sive in terra bonum te maius invenire possum, vel qui magis quam tu me dilexerit?

Adveniat regnum tuum. Oh! bone Iesu, sume, precor, hoc mane totius cordis mei dominium, illud ego tibi totum praebeo. Tu illud semper ac totum posside, et omnes affectus, qui non sunt ad te, ab eo repelle. Te solum in partem meam, et in meas divitias eligo: Deus cordis mei,- et pars mea, Deus, in aeternum.

Da, ut semper illud sancti Ignatii a Loyola in ore habeam et petam: Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. Da mihi amorem et gratiam tuam; fac videlicet ut amem te, et amer a te, et dives sum satis, nec amplius ultra desidero, nec aliud quaero.

Verumtamen tu scis infirmitatem meam, et quam saepe tibi infidelis exstiterim; adiuva ergo me gratia tua, nec unquam permittas me separari ab amore tuo sancto. Ne permittas me separari a te. Hoc nunc tibi dico, semperque dicere volo, et idipsum tribue, ut repetere tibi semper queam: Ne permittas, ne permittas me separari a te.

O Virgo sanctissima, spes mea, Maria, impetra mihi a Deo hanc duplicem gratiam: sanctam perseverantiam et sanctum amorem; nihil amplius a te peto.

Feria tertia

Ah! Domine mi, quomodo potui te multoties offendere, sciens quod peccando tibi summe displicebam? Per merita, quaeso, passionis tuae ignosce mihi, et vinculo amoris tui me tibi obstringe; non te separet a me fetor culparum mearum. Fac ut magis ac magis tuam bonitatem et amorem, qui tibi debetur, et caritatem, qua me dilexisti, semper agnoscam.

Cupio, bone Iesu, me totum pro te devovere, qui temetipsum pro me in sacrificium offerre voluisti. Tu innumeris caritatis argumentis me tibi obstrinxisti; ne, quaeso, permittas me unquam separari a te. Amo te, Deus meus, teque semper diligere volo. Et quomodo a te disiunctus, et sine gratia tua vivere potero, cum amorem tuum cognoverim?

Gratias ago tibi quia me pertulisti quando sine gratia tua vivebam, et quia tempus adhuc mihi praestas amandi te. Si tunc mihi supervenisset interitus, te amplius amare non possem. Quoniam vero adhuc te diligere possum, omnibus viribus te amare volo, dulcissime Iesu, tibi que in omnibus placere peropto.

Diligo te, o Bonitas infinita, amo te plus quam me; et quia amo te, dono tibi corpus meum, animam meam, ac totam voluntatem meam. Fac, Domine, et dispone de me iuxta beneplacitum tuum; in omnibus me tibi subicio. Dummodo mihi concedas ut semper diligam te, nihil aliud posco. Terrena bona da volentibus illa; non aliud ego desidero, nihilque peto, nisi perseverantiam in gratia tua et sanctum amorem tuum.

Innexus ego, o Pater aeternae, Filii tui promissis: Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, in nomine Iesu Christi peto a te sanctam perseverantiam et gratiam amandi te ex toto corde meo, perfecte faciendo deinceps voluntatem tuam.

O Iesu, tu pro me victima factus es, et mihi teipsum dedisti, ut tradam tibi meipsum, tibique immolem voluntatem meam; inquis enim: Praebe, fili mi, cor tuum mihi. Ecce cor meum, Domine, ecce cor meum et animam meam, quam tibi dono et omnino pro te devoveo.

Verum tu scis, Domine, infirmitatem meam: succurre mihi; ne permittas me hanc voluntatem meam a te retrahere ad peccandum in te. Minime: noli hoc permittere; da, ut semper diligam te, fac ut amem te quantum sacerdos te diligere debet; et quemadmodum Filius tuus in cruce moriens dicere potuit: Consummatum est, ita in morte mea dicere valeam, quod ex hac die mandata tua custodivi.

Praesta, ut in omnibus tentationibus et periculis in te peccandi semper ad te recurram, et auxilium tuum per merita Iesu Christi implorare non omittam.

O Maria sanctissima, quae omnia potes apud Deum, impetra mihi hanc gratiam, ut in tentationibus semper ad Deum et ad te confugiam.

Feria quarta

O mi Iesu, video quanta operatus et passus es, ut mihi necessitatem imponeres amandi te; et ego tam ingratum me tibi probavi? Quoties pro vili delectatione et desiderio nequam tuam gratiam commutavi et amisi te, o Deus animae meae! Creaturarum beneficia grata memoria sum prosecutus, tibi soli me ingratum praebui. Ignosce mihi, Deus meus; doleo eiusmodi ingrati animi crimen, et toto corde me paenitet, et veniam a te spero cum sis infinita bonitas. Si tu bonitas infinita non esses, mihi desperandum foret, nec amplius misericordiam tuam implorare auderem. Tibi sint grates, amor meus, quia ad infernum, quem promerui, non me damnasti et tanto tempore me sustinuisti. Sola quidem patientia tua in me, Deus meus, ad amandum te trahere me deberet. Quis unquam me tolerare potuisset, nisi tu, qui es infinitae misericordiae Deus? Iamdiu est, ex quo invitas me ad amandum te;

nolo amplius resistere amoris tuo; ecce, me tibi totum dedo. Sufficit quantum in te peccavi, nunc te diligere volo.

Amo te, o summum Bonum meum; diligo te, o Bonitas infinita; amo te, Deus meus, qui es infinito amore dignus, et semper repetere volo in tempore et in aeternitate: amo te, amo te.

O Deus, et quot annos amisi, in quibus te diligere et in amore tuo progredi potuissem, et eos insumpsi ad peccandum in te!

At sanguis tuus, o Iesu, spes mea est. Numquam, spero, te amare cessabo. Ignoro quantum mihi vivendum superest; residuum tamen vitae meae sive breve sive longum sit, illud tibi totum consecro. Ad hunc finem hactenus exspectasti me. Volo quippe tibi complacere, volo te, amantissime Domine, semper amare, teque solum diligere volo. Quid mihi deliciae! Quid divitiae! Quid honores! Tu solus, Deus meus, tu solus, solus es, et semper eris amor meus et omnia.

Sed nihil possum, nisi tu adiuves me gratia tua. Vulnera, quaeso, cor meum, inflamma illud sancto amore tuo, tibi que totum coniunge, et ita coniunge, ut a te numquam separari possit. Tu amare promisisti, qui te diligit: Ego diligentes me diligo. Nunc amo te: parce audaciae meae, ama tu etiam me, nec permittas me quidquam facere, quod impediatur quominus diligas me: Qui non diligit manet in morte. Libera me ab ista morte, qua impediatur quominus amem te. Fac, ut semper diligam te, ut semper tu queas amare me; et sic dilectio nostra aeterna sit, nec inter me et te amplius dissolvatur. Hoc praesta, Pater aeternae, per amorem Iesu Christi. Hoc ipsum concede, iucundissime Iesu, ob merita tua, per qua spero fore, ut te semper diligam et vicissim a te semper diligar.

O Maria, Mater Dei, et mater mea, tu etiam deprecare Iesum pro me.

Feria quinta

O Deus infinitae maiestatis, en proditorem ad pedes tuos, qui tam graviter in te deliquit! Tu multoties pepercisti peccatis meis; et ego, spretis beneficiis et praesidiis, quibus me donasti, iterum te iniuriis affeci. Ceteri peccaverunt in tenebris, ego autem in luce. Sed audi vocem huius Filii tui, quem modo tibi obtuli, et qui nunc est in pectore meo: ipse pro me misericordiam et veniam apud te implorat. Parce mihi, o Bonitas infinita, per amorem Iesu Christi, quia te offendisse toto corde me paenitet.

Scio te libenter, Iesu Christi amore, peccatoribus fieri placabilem: Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum. Per amorem igitur Iesu Christi, placare tu etiam mihi. Ne proicias me a facie tua, quamvis id merear; parce mihi et muta cor meum. Cor mundum crea in me, Deus.

Hoc age ob honorem saltem tuum, quoniam elegisti me in sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum. Fac me vivere sicut decet sacerdotem. Da cor mihi, quo te sacerdos amare debet.

Exstingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac, ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis, et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac caeli terraeque deliciis antepono.

O Pater mi, per Iesu Christi amorem abstrahere me ab omnibus rebus. Tu vis, ut sacerdotes tui ab omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint, ac tibi soli, et operibus gloriae tuae vivant: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Scio quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adiuva me gratia tua. Trahe me totum ad te.

In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conformationem tribue. Da, ut per amorem tuum meipsum mortificem. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abiectum et imperfectum reputari. Doce me facere voluntatem tuam, et tum quod a me requiris indica mihi, id enim exsequi volo.

Recipe, Deus meus, ad amandum te peccatorem, qui hactenus nimium in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult et esse tuus. O Deus aeternae, spero fore ut te amem in aeternum. Et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate.

Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero; et ideo, Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac ut pro te laborem, et saluti animarum incumbam.

Haec omnia spero per merita tua, o Christe Iesu, et per tuam intercessionem, o Mater mea Maria.

Feria sexta

O Iesu! et quomodo potuisti me ex milibus in sacerdotem tuum eligere? Me, qui toties tibi terga verti, et pro nihilo gratiam tuam sprevi? Amantissime Domine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dico mihi, remisistine peccata mea? Spero quidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti. Ah, Salvator mi, utinam numquam te offendissem! Fac, obsecro, me audire quod Magdalenae dixisti: Remittuntur tibi peccata tua. Fac, ut sentiam me in gratiam tuam iam esse receptum donans mihi magnum dolorem de peccatis meis.

In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis. Oh! divinissime Pastor, tu de caelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro me cotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam ut salvum me faceres; ne derelinquas me. In manus tuas commendo animam meam, suscipe clementer eam, et ne permittas unquam separari a te.

Tu pro me totum Sanguinem tuum fudisti. Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti. Nunc es advocatus meus, non vero iudex; veniam pro me apud Patrem tuum impetra; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transigere, ut cum te iudicem aspexero, mihi te placatum videam.

Regna, quaeso, amore tuo in corde meo, fac ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis, memorem me fac semper amoris, quo me dilexisti, et quanta operatus et passus es, ut me salvares, et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te.

Iesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te, et nihil aliud diligere volo praeter te.

Fac me humilem et patientem in laboribus huius vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem et a creaturis abstractum, et praesta, ut a corde meo eiciam omnes affectus, qui non sunt ad te.

Haec omnia a te imploro, et spero per merita passionis tuae. O Iesu iucundissime, amabilis Iesu, o bone Iesu, exaudi me.

O mater mea, et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me et ora Iesum pro me.

Sabbato

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. O Iesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam, ex intimo corde tibi gratias ago.

Quoniam venisti ad me, loquere, quaeso, et dicito mihi quid velis a me quia omnia facere volo. Non mereo quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis iam paenitentiam egi, nunc iterum me illorum paenitet, et veniam a te iam obtinuisse confido. Dic ergo mihi quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia.

Utinam, Deus meus, te semper amassem! Hei mihi! quot annos amisi! At Sanguis tuus, et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando tibi que placendo.

Amo te, Redemptor meus, amo te, Deus meus, ad nihil aspiro nisi ad amandum te ex toto corde meo, et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. Amore amoris tui, dicam tibi cum sancto Francisco, moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

Tu, Iesu, mihi totum te ipsum dedisti; dedisti tuum Sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua; plus dare non habuisti: ego me totum tibi dono; dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem; plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus tibi darem. Iucundissime Iesu, tu mihi sufficis.

Fac tamen, Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate, derelinquere te. Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi numquam obventurum. Tu dixisti: Nullus speravit in Domino, et confusus est. Tota igitur fiducia dicere possum et ego: In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare, numquam confusionem passurum videndi me separatum a te. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum!

Deus meus, tu omnipotens es, effice me sanctum. Fac, ut multum diligam te, fac, ut nihil praetermittam, quod redundet in gloriam tuam, et omnia vincam, ut tibi complaceam. O me beatum, si omnia perdam, ut solum te, et amorem tuum inveniam! Ad hunc finem vitam tribuisti mihi, fac, ut eam operibus gloriae tuae omnino impendam.

Non mereor beneficia, sed poenas; ideo deprecor te, ut punias me sicut vis, dummodo gratiam tuam non auferas a me.

Sine mensura amasti me, o caritas infinita, o infinita bonitas, sic amo et amabo te. O voluntas Dei! tu es amor meus. O Iesu mi! tu mortuus es pro me, utinam ego etiam mori possem pro te et morte mea efficere, ut omnes ament te. O bonitas infinita et infinite amabilis! ego te maximi facio et super omnia diligo te.

O Maria! trahe me ad Deum; da mihi fiduciam in te et fac, ut semper ad te confugiam; intercessione tua sanctum me reddere debes; ita spero.

From the "Preces Ante et Post Missam, Alliaequae Orationes Sacerdotibus Utilissimae", Ratisbonae, 1955. See also "Preces Selectae", 1990.

[< - Prev](#)

[©copyrighted](#) by Michael Martin

[Next ->](#)

